

Michael Virdungus

‘Thrasea’

Tragoedia
(1608)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Dezember 2006

Interlocutores

Nero
Cossutianus
Thræsa
Nuncius
Arulenus
Caecilianus
Virtus
Erinnys
Egnatius
Demetrius
Arria
<Medicus>
<Priscus>
Chorus Romanorum

Actus primus

Nero, Cossutianus

- Ne. Satus Deorum sanguine, illustris nepos,
Stemma unde fulsit IVLIORVM, Cypridis;
Cithara canenti et voce coelesti aemulo
Cui Phoebus assurrexit et Phoebi chorus;
Qui spatia circi dum citatim pervolo
Flectens habenas, Sol quadrigis aureis
Obstupuit Orbi desuper lucem vehens:
Ille, ille Rector Orbis atque Vrbis parens
Per nos renatae pulcrius, princeps NERO,
Qualis tenebras arbiter lucis fugat,
Caliginosae cuncta sortis nubila
Adsum serenans, sidus exortu novo
Placidum piumque. en, quisquis oppressus malis,
Frustra obseratas adstrepens aures Deum,
Coelo manus tetendit, huc vertat preces:
Quod caelites oravit, hoc Caesar dabit. 5
- Coss. O qui peremni luce radiatum caput
Titanis aurea refulgentis coma
Imitaris ingens, ore sidereo nitens,
Ocelle Mundi, Caesar, ac lumen Deum,
Vt hoc tremiscens oris aethereum iubar
Cerno! utque supplex haurio vocis sonum!
Coelestis! o praesente felices Deo,
Felicitatis auctor es queis et parens,
Populum Patresque! tene praesentem tuor, 20
Germaniae horror, Arsacis victi dolor
Idem decusque, stratus hac felix manu,
Vt excitari posset hac felicior,
Per te in nepote qui renascetur suo?
- Ne. Ego ille sum, cui regna famulantur, quibus
Dare est potestas scepta et auferre, ut lubet:
His Orbis humeris insidet pondus leve,
Haec una mens capacior caelo viget.
Parum est, quod horret Orbis, en! nutus meos;
Parum est, quod omne vivit humanum genus
Peritque nobis, quodve sub regno meo
Est omne regnum: non capit Mundus suum
Dominum ac parentem; Mundus, ingratus licet,
Sentit parentem. cuncta, me placido, virent 35

	Almaque florent pace. sin arma intonem, Quassetur Orbis, haecque tempestas eat Ingens per omnes, universum corruat; Feriatque, quicquid gentium est, fulmen meum.	40
Coss.	O fulminantem quidquid horremus Iovem, Vis vestra gentes quam magis percelleret, Regnante coelo certius numen Iove, Ni ferrum et ignes alma Pax constringeret: Pax, lenitatis munus immensus tuae, O priscum in aurum restitutor saeculi!	45
Ne.	Et ille restitutor, ille Orbis salus, Terrore nullo vindices armans manus! Tum scelera lento audiens, lento videns, Quin imo clando deserens poenas pede, Cui stilla nunquam sponte missa est sanguinis, Odio nefasto civis infesti premor.	50
Coss.	Quodnam illud ingens dedecus saecli tui?	55
Ne.	Cernis severae frontis has rugas? quis hic, Quis, quaeso, ab astris TERTIVS cecidit CATO? Hic paedagogus noster, hic censor Patrum, Columen senatus, arrabo virtutium,	60
	Vt, ecce, se infert! spiritus quantos gerit! Dominatur Orbi Caesar, ast hic Caesari.	
Coss.	Quid inquietae turbida haec proles Stoae? Hic pacis osor, civitatis gramia, Spirans furenti pectore immensus nefas?	65
	En! fastus ingens hominis! en, praeceps furor! Quo, quo feretur? sana meditari nequit. At, ecce, quantis sepserit se viribus!	
	Qua se manu vallarit, infandum caput! Hic solus, hic per ora cunctorum volat,	70
	Hunc fama supra Caesarem et coelum vehit: Huic aura populi spirat, hunc alte favor	
	Tollit senatus, hunc celebrant exteri; Hic civitatem denique in partes scidit:	
	Sectam hos Neronis, hos scias Thraseae sequi.	75
	Proh fata! quisquam ponitur contra Deum? Videsne, gravitas ore queis ficto excubat?	
	Tristes senilem queis arant frontem striae, Tesquoreque hirtae tetrico squallent togae,	
	Priscamque redolet caena pauperiem? tui	80
	Quos laeta mordet saeculi faelicitas? Qualis paratu pauperi festos dies	
	Fuscabat olim (triste!) barbatus senex, Gaudens miseriis, publico moerens bono.	
	Haec quanta, quanta factio Romam premit,	85

	Iurata Thræsea, Caesari adversa est manus, Ni forte similes haud sequi censes ducem: Diligere Caesarem, quibus cordi Cato est.	
Ne.	Proinde detrahenda materia est novis, Et puniendum morte furibundi est scelus.	90
	Faxo, deinceps nemo supra Caesarem Erigere cristas ausit et nostris, ut hic, Se venditare propalam carporibus.	
Coss.	Et his repaglis iuris ac legum omnium Olim refractis, anne furiale impetum Sceleris repressit? nonne queis potuit modis Voluitque deinceps, numen illusit tuum, Violavit atque obtrivit, et de Principe Agere est triumphum visus et de legibus? Ruptis ut olim vinculis, vasto impete	95
	In arva fertur rapidus, immanis leo, Sic iste legum nexibus ruptis semel, Campos furoris illico exultans petit: Quippe hic sacerdos castus haud unquam prece	
	Deumque paces victimis caesis adit, Coelestis haec ut vox diurnaret poplo;	100
	Illudque sidus aureum, illatum polo Astrisque nuper, cuius adtonitis adhuc Divina facies haeret animis civium, (Scindo, heu! dolorem, Caesar, invitus tuum)	
	Solus nec aris ille nec votis colit. Quid multa? quondam hic censor assiduus, Patrum	110
	Patruus severus, iam his valefacto omnibus, Dixit supremam Curiae, dixit tibi, Odio furenti percitus saecli tui.	
Ne.	Vaesana mentis impiae perversitas! Has perduellem flare vanum glorias!	115
Coss.	Atqui tumentes exsuet mox spiritus. Pergo ad senatum: cuius inflatus modo	
	Favore tursit, eius ut sententia Transdatur orco numinis spretor tui.	120
Ne.	I, perge: linguae laxet et frena Eprius. Demostheneo uterque pollens fulmine, Connixus omni vi furentem dissupet.	

Chorus

Ch.	Quas nunc faces dolorum Succendis, alme Princeps? Et quas tubas malorum	125
-----	-------------------------------------------------------------------------------	-----

Inflas, Apollo noster?	
Ecquo, cruentे, vaecors	
Raperis furore praeceps?	130
Ecquo, nefande, fastu,	
Tyranne, conteris nos?	
Tollis, superbe, vultum	
Tonasque grandis ore,	
Immane, homulle, spirans,	135
Ceu iam choro deorum	
Insertus astra pulses	
Nec faece mersus ima	
Fallas humi tenebris	
Coluberque dirus omne	140
Late solum venenes.	
Calces divitias licet,	
Gemmis cuncta renideant,	
Caenae delicias deum	
Vincant, in spatium urbium	145
Auratae pateant domus,	
Extraque omnia fulgeant:	
Intus paedida sordibus	
Squallent omnia, faetidis	
Haeret visceribus lues.	150
Mentem fumida nubilat	
Fax infanda libidinum;	
Atrox saevities ferum	
Cor thyrso quatit horrido,	
Et pectus furiis patet	155
Coecko ictu laniantibus.	
Quare barbaricas licet	
Rheni contuderis minas,	
Et te picta Britannia	
Armatis tremat essedis,	160
Et Parthos iaculo bonos	
Praescripto amne coerreas:	
Cor terroribus inquies	
Formido exagitat mala.	
Quin umbrae metuens tuae,	165
Quemvis ad strepitum pavens	
Et corde et genibus tremis.	
At nobis animam auferes,	
Quandocunque libet? nihil	
Hoc, credo, melius putas	170
Caedes caedibus aggeris.	
At nil praecipui tibi,	
Ventosissime, creduas	

Hic magni aut pretii datum.
Haec vis nempe leonibus,
Haec curtis quoque viperis;
Hac panthera potentia
Hyrcanaeque tigres ovant,
Hac aspis quoque parvula,
Tam morsu tenui necem
Inspirans placida via. 175
Quid plura? hoc acinus potest.
Mille huic, mille animae neces
(Infandum) insidias struunt.
Hunc hausit mare, at ignibus
Vitam ille expulit efferis;
Hic iactu horribili solum
Dispergens cerebro ferit.
Alter pocula pallida
Imprudens tetigit; malus 180
Huic letum fabricat labos.
Quin tu quam tibi propriam
Vim, stultissime, somnias,
In vestrum omnis habet caput.
Quisquis prodigus est suaे,
Is vitae dominus tuae est. 195

Actus secundus

Thrasea, Nuncius

Th.	Felicitatis pignus, alta adamantino Thorace Virtus tecta, robur maximum; Constans nec ullis victa Libertas malis Et laeta firmi pectoris Tranquillitas: Nunc, anime, nunc, invicte, vim fortem exsere. Iam propius atque propius accedit metus, Iam velitatur eminus casus minax. Congredere, pugna. nam quid irritaveris Infesta toties fata? celso robore Sortem asperaris contumacis pectoris, Si terga vertas, anime, si trepides malus? Proin manebis nuncium imperterritus. Haud ille nobis saeuentis Principis, Odio reposto, mite responsum feret, Si fastum iniquum et impotentis pectoris Novi furentes mente praecipiti vias. An ille cuiquam parcat, haud parcens suis? An luce cassa uxore, matre et proximis, Vescatur auris Thrasea dehinc vitalibus? Animique causa qui horridas Vrbi faces Admorit, ille corde flammato ferox Quid faciet? ocios furens poenam exiget. Tam molle pectus iste et humanum gerit Apollo noster, temperans Orbem lyra! Sed ecce, nuncium: genas lacrymis rigat.	200
Nu.	O lumen Vrbis saeculique ingens honor Cultorque honesti pertinax, ut me tui Miseric! ut isthoc fletus erumpit mihi, Dum animi tuor lucentis augustum decus!	215
Th.	Quin flere omittis? nuncio haud laedar tuo. Transacta vita est, morte querendum est decus.	220
Nu.	Haud morte sane dedecus vitae imprimam.	
Th.	Invicta celsi o pectoris constantia!	
Nu.	Sed res ut isthic gesta sit, pande ordine.	230
Nu.	Ergo ut tabellas laetus accepit Nero, Terrore credens misse perculsum gravi, Animique fracti supplices ceram notas Habere, nomen decolorantes tuum, Resignat avidus atque percurrit legens.	235

- Hic ut vigorem spiritus tanti pavens
 Hausit, serena luce percusus tua,
 Attonitus et paullum ore defixus stetit,
 Non aliter ac si quis procella sideris
 Ictus repente aut increpatus fulminis
 Gravi fragore torpeat viduus sui,
 Solisve subiti fulgura immissa inferis
 Manes tremant et Ditis obscurae domus.
 Mox haec ubi caligo discessit, furens
 Successit ira, fugatque pallorem rubor,
 Totumque pariter occupat vultum dolor;
 Spirans cruentum dentibusque instar ferae
 Immane frendens, ore saevit spumeo.
 Tandem ingemiscens, voce proclamat fera:
 ‘Hei hei, labare creditus frustra furor!
 Sed iure plector, iure, qui poenae impio
 Tantam mei dissimilis indulsi moram,
 Mulcere si quirem impotentes spiritus.
 Nunc ergo saltim, nunc, NERO, expurgescere,
 Insurge in hostem, vindica numen tuum.
 Flecti haud potest mens contumax, frangi potest.’
 Th. Quid ergo miscet? quas coquit moles mali?
 Nu. Scelere ut Neronis, at senatus nomine
 Vita abdiceris.
 Th. sic senatu ille utitur.
 Sed ecce amicos! obvium his tollam gradum.

Arulenus, Caecilianus

- Ar. O utique muro septe inexpugnabili!
 Extra aleam omnem sortis humanae site,
 Vt te nec omnis, Thræsa, tormentis suis
 Concusserit fortuna nec fulmen Iovis!
 Qui proximante tam aestues leto nihil:
 Tam placida laeta fronte maiestas nitet!
 Th. Non mors timenda est, qui neget mortem malum.
 Aut sapere vulgo quid magis visi sumus?
 An arguat magnifica verba ignava mens?
 Indomitus atque invictus atque omni metu
 Antehac is animus melior, ipso limine
 Trepidet quietis tot superior casibus?
 IACTATVS ALTO NAVTA SI PORTVM TIMET,
 MORTEM TIMETO, VITA QVEM IACTAVERIT.
 Solvende mox, o, vinculis his corporis,
 Vt, anime, gestis! purus in lucem ac levis

	Vt emicabis! quae manent te gaudia!	
	Tantum bonorum mi augurans mens praecipit!	
	Sed quid modo hic adsitis accitu meo,	
	Audite, amici: mox ubi accusabimur,	280
	An candidatus iste se sistit necis?	
	An melius intra hos continebor parietes?	
Ar.	Cui mors metuta solvit artus languidos,	
	Captet tenebras, segnem ubi abscondat metum.	
	At irretorto fata qui vultu potest	285
	Contra obtueri, conspici quam maximo	
	Velit theatro. ne ultimo hoc spectaculo	
	Populum tui fraudaris. ut Solis iubar	
	Mergens profundo dulcius solito micat,	
	Talis tui conspectus extremus poplo	290
	Erit et senatu. qualis adtonita bibet	
	Voces senatus aure supremas viri,	
	Coelesti cuius fulguret vultu decus,	
	Coelesti cuius fulmen in lingua vibret!	
	Qualem videbit populus imperterritum	295
	Heroa, celso pectore ac leto obvium!	
	Quin ipsa decore Curia effulget novo,	
	Tali dicatam quam tuo ingressu ultimo	
	Ad posteros sacrabis. ipse at fors Nero	
	(Vt massa ferri rigeat, ut crudus chalybs)	300
	Mansuescit, ingens obstupens miraculum.	
Cae.	Si qui perurit laudis etiam ardor bonos,	
	Adhuc acutis cor fodit calcaribus,	
	Atque ista solum cura supremo die	
	Animum remordet, cuncta dixisti probe.	305
	Sin alia sunt curanda morienti quoque,	
	Ne pulcra dictu sint, vide haec, factu aspera.	
	Intramus, ecce, Curiam: facies minax,	
	Armata nempe limen obsedit manus,	
	Stricta in senatum, paeferens vultu scelus	310
	Caedemque anhelans, manibus intentet necem.	
	Hinc illa pulcra, cum, perorante Eprio,	
	Convicio aures insolentes imbues	
	Probrisque, Patrum quae sequax fundet manus.	
	Sic scelere multis emere moris Principem,	315
	Sic scelere deprecantur odium Principis.	
	Non vulnerabunt haecce virtutem tuam?	
	Novi. at senatum scelere tanto polluent,	
	Quantum nec undis eluat Nereus suis,	
	Deleveritve temporis longinquitas.	320
	Annon senatus ante disceptus manu	
	(Luctu refugit animus atque horret metu)	

	Cruore diros quispiam sparsit Patres? Proinde tantum ne recrudescat nefas, Domi manendum est: tuque LVX o CVRIAЕ, Cave, his tenebris ordinem clarum obruas. Sed nec Neronis mitius speraveris Pectus. quid? ille poenitens in mollius Animo reflexo, damnet ut coeptum scelus? Magis asperatus hac tua constantia, Crudelitatem saeviens in pignora Exacuat atque coniugis carum caput. Proinde pura mente, corde innoxio, Quam decore recti, decore vitam linquito.	325
Ar.	Non si Patres timore perculti tuam Prodent salutem, fas mihi intercedere est?	330
Th.	Meae haud saluti consulens, prodas tuam?	
Ar.	Vel morte pulcre tanta ematur gloria.	
Th.	Iuvenilis, ah, hunc spirat ardorem vigor; Aetate verum consensercent impetus Vani et nocivi. multa prius animo exigas His, Arulene, fluctibus surgentibus, Volvare quam imprudens procelloso mari, Quo tutus austris obsecundes horridis.	340
	Mi vita praetervecta, quem tenuique adhoc, Vt iam intro portum, deserere cursum nefas. tu fervidum istud nuper ingressus fretum, Ne merge navim iuvenis et portu procul. Te haec perimat, haud me servet intercessio. Nunc caeterum ipse pectore evolvam meo.	345
		350

Chorus

Ch.	Saepe mi bulla est homo somniumque, Saepe res ludicra iocusque visus, Corpus exercens fluidum ac caducum Et brevis aevi, Anxius vitae trepidusque rerum, Res agens magno minimas tumultu.	355
	Inquies cursat velut agmen, inter Arborum repens cariem, ruuntque Sepedium nigri populorum acervi; Fervere ingentes videas ubi undas Anxiae gentis trepidaeque rerum, Dixis humani speculum hocce motus: Irrito sic conteritur labore, Ipse sibi instans	360

Fluctuansque aestu vario, inquiesque Semper insano trepidat tumultu Et tamen vanis nihil explicat dis- Cursibus amens.	365
At simul lux alta animi refulsit, Igneaeque ingens vigor impetusque Mentis has inter micuit tenebras, Altior surgens solito nec huius Corporis tam parva animum figura Metiens, clamo: Deus hospitatur Corpore humano, radiosque Dii Luminis sentisco, polique germen Siderumque haustus, sacra vis anhelat Intus Olympum.	370
	375

Actus tertius

Virtus, Egnatius

Vir.	Illa ego vetustis culta quandam gentibus, At modo recessibus relegata ultimis, VIRTVS bonorum numen, exul saeculi Praesentis (exul me exule an saeclum magis?) Adsum, cruentis efferata, hei, luctibus: Cum, quos professos esse tutelam mei Videam, salutem queis meam concrederem,	380
	Quorum verendum nubilae frontis decus, Iusti atque honesti is arrabo visus fuit, Hos, hos potissimum sciam pestem unicam In me cruentis mentibus grassarier, Nil machinantes praeter infandos dolos,	385
	Adficta queis modisque cruciata impiis, Evisceratis lanciner tota artibus.	390
	O Phoebe, Mundi qui aureos currus regens Cuncta intueris, axe sublimi vehens, An turpius quid cernis? an funestius	395
	His, quibus in ore Sanctitas, Pietas, Fides Semperque Honestas omnis in labris natat? Queis lingua florens nectar exspirat merum, Ast animus ater virus occultum coquit?	400
	Sic imperitos nempe decipiunt dolis Foris politi, intus sepulcrum rancidum. At vos putastis fallere? anne haec putrida	
	Morum latere vulnera ac mentem improbam? Tibi dico, honesto qui ore tenus exercitus,	405
	At mente nunquam indutus arteis bonas; Annon Fidem, Constantiam, Patientiam	
	Animumque Honesto penitus incoctum crepas? Invictum ab ira pectus, invictum dolis, Quos Cypris illex strueret atque illex lucrum?	
	Ante omnia autem amore vero praeditum Fidaque caritate cor fervens nec, ut	410
	Faex haec amat scelestia, temporarium Nosterne amicum philosophie spe ponderas? Nunc, o (tua haud dat verba mi oris torvit, Nil haecce matutina frons me commonet,	
	Opaca nil me barba, nil rugas moror), Nunc ergo prome, prome virtutes tuas,	415

	Quas folle quovis iactitas ventosior. Scrutare latebras. excutis te ipsum? anne ego, Ego hanc latrinam faeculentam exauriam?	420
	Proh faeditatem! proh penetrale impis Squallens sceleribus! o caput dirum, impium, Abominandis involutum fraudibus!	
	Iniuste, avare, spurce, periure, impie, Livore pallens, marcide, inconstans, levis?	425
	Nec mica mentis candidae nec somnium Nec ulla somni imago sinceri viri: Abiectus animus ac tamen ventosior,	
	Si quando se inflat, folle: lingua benedica, Potentiori tertiata substrepens	430
	Vix verba, saeva atque arrogans minoribus. Sperare noli, qui nihil recti volet.	
	Timeto potius, qui, ipsus ut nihil possiet, Conflabit aliquid per alios, ni praecaves, Mali, nec hosti verum amico noxius.	435
	Sed, ecce nobis, ecce venerandum senem! Hic Stoicorum columen, hic nostrum decus, Cliens amicum totque meritorum immemor	
	Falsus SORANVM percultit testis. viden' Quae sit severo torva maiestas viro?	440
	O quanta factio hoc ore tetricitas sedet! Iam iam intonantem verba velut e numine Expectorata audite penetrali intumo.	
Eg.	O Diva lumen Orbis, invisum malis, Sed dulce nobis, dulce: te facinus duce	445
	Caecum atque furtum fraudis exsecrabilis Pandens retexi, crimen abstrusum, abditum. Sceleris nefandi sic apertis fontibus,	
	Iam iam patent consilia, queis Vrbis salus Orbisque opertis contremebat machinis.	450
Vir.	O pulcra dictu qui profari tam scias, Fuitne amicus iste, quem occidis, tuus?	
Eg.	Fuit, atqui amico potior est Respublica.	
Vir.	Siquidem, Nerone principe, est Respublica. Sed quid petebas inde, cum prosterneres	
	Vna ruina cum parente filiam?	455
Eg.	Tua, alma Virtus, impulit me iussio.	
Vir.	Etiamne nomen, carnifex, violas meum? Ten', criminose, ten' ego iniuste impium Iussi innocentes premere periurum reos?	
	Non involucris haecce frontis nubilae Sublestæ mens obtecta? non avidus furor?	460
	Scelerumque, quantum est, impium pectus capax?	

En, hic Magister iuris et amoris pii,
Noster patronus, cuncta pretio vendidit?
Ius fasque, amicos meque non fecit pili.
Sic frena rupit, liber equitavit Furor;
Libido victrix caedibus diris ovat.
Et sustinet te terra? ten' Sol adspicit?
Tun' me obtueri sustines? tun' alloqui?
I, parricida, properus, adspectu impio
Coelum atque terram capit is infandi leva.
Abi in profundam noctem et extremum chaos.
Non tartaro condare, non, sed tartarum
Est quicquid ultra. nam nec aequis inferi
Pirithous animis atque te Aegides ferant. 475

Erinnys, Virtus

Er. Qua caeruli vis spumea undosis humum
Horrisona Ponti pulsibus circumfremit,
Campique montesque arvaque ac urbes iacent,
Qua mergit et qua Phoebus emergit diem, 480
Regina rerum omnisque dominatrix soli,
Reabse cldeo, quod cluet titulus Iovis,
Orbis monarcha. namque sub leges meas
Cum totus ierit Orbis, expertem rei
Iactare inani haud invidebo nomine
Quemcunque sese. sed tamen curae mihi est,
Quod viva nobis illa relicta est, licet
Exacta Virtus undique adversaria.
Quippe imbellicam cogit, en, rursus manum.
Iam victa toties, copiis imo suis 485
Armisque debellata. nam leges mihi
Opposuit olim: legibus felix ego
Regno, triumpho; legibus nullum est mihi
Telum domandis acrius virtutibus.
Testes Athenae, testis Vrbs Quiritium es.
Nostrum tribunal, maximum regnum ac forum est. 495
In Iure Iuri ne locus sit, iam diu
Cautum est. honesto maximam cladem facit
Species honesti. facile pietatem premit
Cultus Deorum creber atque acer metus.
Quin Aequitatem conterit Iusti rigor.
At Castitati non piam fraudem facit
Castus sacrorum. iniuriarum vindices,
Iniuriarum mi architecti iam et Patres
Cluent; rapinas quique defendant malas, 500
505

	Plaeri scelestis auctitantur raptibus. En, subditorum sunt magistratus lues, Et furta cohibet, ecce, latronum latro. Ipse Orbis, Orbis iamque servando perit. Nam barbarorum conteri truculentia,	510
	Monstri Neronis quam pati praestat iugum, A barbarorum qui tuens conatibus Orbem efferavit barbaris immanius. Hinc illa nempe dicta Virtuti toga	
	Quondam ac patronus ille Iustitiae, pater	515
	Virtutis atque lex Honestatis prius; Nunc mi senatus servit, invitus licet. Quaeque odit, effert, ast amata deprimit. Furtim colit Virtutem, at oppugnat palam.	
	Quosque exsecratur, opibus ad coelum vehit;	520
	Veneratur at quos, mulctat indigna nece. Exsulto, volito, laetor insanum in modum, Furibunda bacchor praeque nimio gaudio Vix capio meme, vix scelus capio meum.	
	Tanta acta res est, tantus accessit mihi	525
	Cumulus boni regnoque stabilimen meo! Periit Soranus; at vigent Egnatii. Thræsa est cadaver; ac triumphat Eprius.	
	Quicquid pudicum, quicquid ingenuum, probum,	
	Constans, severum, quicquid et sancti fuit,	530
	Excessit, abiit: sola nunc Fraudes, Scelus, Nequitia ubique sceptra terrarum gerunt.	
Vir.	O taetra alumna Noctis, invisissimum Monstrum mihi Deisque, Naturae probrum Scelerumque mater et profanatrix Poli, Quid hic vagaris, impia, in regno meo?	535
	Lucemque turbas, nubilo involvis diem? Et pestilentes aeri offundis dolos Et pestilenti labe mentes corripis?	
	Quid, o cloaca, spurcitas tetterima,	540
	Horribili odore nubilas ipsum aethera? Non hinc facessens, carceris foedum horridi Cubile porro pollues, quid tartaro, Nefanda, misces astra? quid nocti diem?	
Er.	At, o propago Lucis, astrorum decus, Regina rerum; quamlibet iam nulla sis, Toto exsul Orbe atque omnium ludibrium. Spoliata cunctis, saucia atque expes, egens	545
	Aegreque dicens spiritum, vilissima Rerum atque inane nil nisi crepitaculum,	
	Nostri quid ausa es imperi pomeria	550

	Inire? tanta tene Confidentialia Post tot repulsas tenuit et sordes simul, Vt nulla vires has reformides meas? Ancilla vilis ausa dominam laedere Orbis monarcham? senties iam iam meam Vim, dissipata hac, qua tunes misera manu; Et stulta nostris undiquaque his cassibus Nunc clusa disces, quo loco sint res tibi.	555
Vir.	Comitatus o sideree, congrex claritas, Succurre propere; provocatrix insolens, En, nos lacescit ac minas vaecors iacit. Iacienda nunc est alea. o Prudentia, Totius esto constitutrix agminis: Iustitia cornu dextero praefulgura,	560
	Magnanima laevum Roboris muni soror; Benignitatis sidus at medio mica. Hinc claude et agmen contine Frugalitas.	565
Er.	Huc, huc alacris convolato exercitus, Atrae cohortes atque Avernal is manus: Belloque finis atque Virtuti hic adest. Ergo o profane satellitum princeps Furor, Ceu flamma taedas, Eurus aut Siculum mare, Turmas perequitans, concita, pelle, intona;	570
	Nequitia toto alacris exsulta agmine, Scelusque Frausque tentet insidiis locum.	575
Vir.	Concurrit acies utraque, miscentur manus Clamorque praeliumque; utrinque viribus Certatur animisque. dubio Mavors gradu Errat; sed, eheu! concitis calcaribus Nostram arietatur caecus in Prudentiam	580
	Furor statimque exanimat effossis oclis. Caligat acies perdita trepida duce, En! ut cruentis ora flammata ignibus Crudelitatis palluit Clementia,	585
	Sese citato primaque abripuit pede. Iam iam protervis impotens Fastus rotis Invictus alte, tota conculcat simul Aequi bonique fervido cursu agmina.	
	Iam victa, fracta, exsanguis, enervis iacet, Heu, Fortitudo, comminutis artubus. En, Sanctitatem perditam! o Pudor, Pudor,	590
	Infanda passe! vae mihi spectaculum Abominandum! ut foedus et totus lacer, Te perdidisti totus omnisque exsulas!	
	At amnis instar effera hiberni ruens Luxuria saevit; saevit atris rictibus	595

Pandens hiatus avarus immanem Furor.	
Hic mille praegnans verberum vibicibus	
Polluta taboque oblita Integritas iacet,	600
Succubuit illic Veritas Calumniae;	
Iamque ipsa Pietas, parricidali manu	
Miserrime multata, porrexit pedem.	
Cunctis at undiquaque circa copiis	
Fusis, fugatis, Iustitia solam videns	605
Sese relictam, protinus cedens humo,	
Infertur astris; iamque gemmata atria	
Stellansque porta laeta susceptat Deam.	
At tu mei miserta, ruptis faucibus,	
Dehisce tellus: merge me vel tartaro;	610
Hunc, hunc sub auris quo recessu tartarum	
Imo relinquam, heu, sola, deserta, auxili	
Orba omnis, hostium undiquaque indagine	
Septa; ac salutis prorsus obstructa via,	
Quo fugio? quoque evado? vis atrox premit,	615
Premit ingruitque; nunc catervatim irruunt.	
Ratio fugelae nulla, nulla spes: iam iam exiti	
Circumstat agmen. funus est Virtus, simul	
Cadaver Orbis. Orbe Virtutem exsuit	
Quicunque, et Orbem idem Orbe: fiet tartarus	620
Nunc astra, fiet Mundus antiquum chaos.	
Er. Invadite, involate, rapite, tundite,	
Lacerate: mille verberum vibicibus	
Faedata, mille secta tormentis prius,	
Tota ante mortem sentiat semet mori	625
Mortemque, quoties membra, pernumeret suam.	
Ignota carnificina iam iam singulos	
Artus perurat torqueatque et excoquat.	
Sed cuius ista, cogito, lasset manus	
Tortoris ingeniumque. non Phalaris placet	630
Mezentiusve; quodve Fama exhorruit,	
Crudelitatis nomen est clemens nimis:	
Non ipse Phlegeton, omne non Stygium nefas,	
Non tota Ditis aula poenae sufficit:	
Nostro furori sufficit solus Nero.	635

Chorus

Ch. Vnde, Ascraee, tibi, senex,
 Mens hac corripitur laeva cupidine,
 Tantum ut posterioribus
 Te vesci aethereo munere saeculis

Velles? o utinam Dies	640
Tunc oras niveae primitus aureas	
Nascens adtigerim puer,	
Cum mores hominum cor tibi sauciant,	
Ac sunt tempora taedio.	
Immensosque putas Nequitiae sinus	645
Illud pandere saeculum,	
Quo vix Improbitas repere humi quiens,	
Infirmis tenera artubus,	
Prolusit sceleri cumque apinas patrum	
Suspensis babit auribus,	650
Empusas metuens et Lamias adhuc.	
Mox aetate valentior	
Sollers condidicit flagitia et dolos;	
Nuncque omne excutit horreum	
Auctae praecipuis Nequitiae malis.	655

Actus quartus

Thrasea, Demetrius

- Th. Sic est profecto: ut funeris cantor sui,
Moribundus olim mente laetiscens olor,
Dulci Caystri stagna permulcet melo,
Animus piorum rore inenarrabili,
Instante fato, sic voluptatis liquet. 660
- De. Quid gaudio exsultare mirum, siquidem
Mortalitatem excipiat immortalitas?
- Th. Est sponsor animus certus atque augur mihi.
- De. Quid ergo? vestros non probabis Stoicos,
Animus diremthus corporis consortio 665
Quibus diurnat, nullus aeternat tamen.
- Th. Ah error animos, error hominum nubilat.
E fonte flammea fluere divinum hoc putant.
- De. Et ignis ergo (quippeni?) exstingui potis.
- Th. Non terrulentum aut flabile hoc aut igneum, 670
Cui velle inest, cui sapere et acies sensuum.
- De. Peculiarem hanc ergo naturam autumas?
- Th. Hic corpore est pars mersa Dii spiritus.
- De. Deine noster animus ergo portio est?
- Th. Non, non; nec in frustilla sic carpam Deum.
- De. Quid ergo partem spiritus Dii vocas?
- Th. Homini Dei inspiravit isthanc halitus.
- De. Hoc ergo tam puro profectos halitu
Animos, quid altis inquinavit sordibus?
- Th. Hoc, o amice, turpe contubernium. 680
- Sed et latens vis alia suspecta est mihi.
Si poma, ubi arbor semet in florem induit,
Praecipitat urens aura, messem interficit
Robigus atque auctumnitatis ordia
- Frigus veneno noxiun admordet suo,
- Coelique morbo corpora obscuro labant: 685
- Et talis animos pestis occulte quatit.
- De. Loquerisne fraudes, quas serit daemon malus?
- Th. Etenim bonus malo auctor haud ulli Deus.
- De. Hic universi Rector, hic rerum pater, 690
- Fons hic salutis, pelagus immensum boni
Rectique amussis, cuius haec nutu omnia
Eunt, moventur, istud oscillum librat
Sese universi, fluere quare passus est

	In peius aliquid? namque Dio conditu Pulcerrima exstitisse cuncta haud ambigo.	695
Th.	Videsne pictam Daedala tabulam manu? Etiam ater apte positus hic ornat color; Sic cum bonis hoc universum est et malis.	
De.	Haec capere videor. nempe sic hirtum gelu Ver comit alum, sic tenebrarum atritas Lucem venustat, sique Nox ornat diem; Sic enitescit pulcrior Virtus mihi, Cum taetra culpae turpitudo sorduit.	700
Th.	Terrena mi sic faeculenta haec civitas, Sentina rerum, squalitudo sordium, Impuritatis haeque confluges, acor Hic, hic malorum condidunt dulcedinem Coelestis nectar, quod mihi miscet Nero.	705
De.	At tu vel homines inter accumbis Deum Epublis beatis: namque vix quicquam mali Te traxe video corporis contagio.	710
Th.	Sunt multa, sunt permulta, Demetri: parum Nos haec videmus; nostra quippe acies hebet. Tantopere nemo a corporis commercio Abstraxit animum, labe ne maculet mala, Quin pestis aliqua fallat haerens sensibus.	715
De.	Hae quando pestes atque labes sordium Animum relinquunt?	
Th.	corpus ubi reliquerit.	
De.	Eademne maneant seu pios sive impios, Cum hoc evolarint carcere olim corporis?	720
Th.	Non, verum ut illi in astra celsi subvolant, Sic hos vorant inferna Cocytus vada.	
De.	Quae deinde vita utrosque, qui finis manet?	
Th.	Ceu, ni laccessat lumen externum, illico Oculus tenebris totus immersus latet, Se viduus ipso, triste perpetiens malum. Ast ubi nitentes purpurat Sol pupulas, Visu lubescit atque laetatur fruens:	725
	Haud aliter animos exsolutos corpore,	
	Cum veritatis alma Lux defit Dei,	
	Orci tenebris devorari immanibus	
	Prorsus necessum est, nocte mersos horrida	
	Luctuque captos confici aeterno malo.	
	Sin, nocte pulsa, ter beati luminis	730
	Irradiet ingens splendor, aeternum bonum,	
	Hoc ipsa fonte manat immortalitas.	
De.	O ergo VERI gnaritas ingens bonum Malumque iuge illius ignoratio!	735

Sed ecce amicum! hic noster adportat gradum
Domitius: ex hoc scibis, ut sit gesta res.

740

Caecilianus, Thræsa

- Cae. O, cui supremum fervidos ictus iacit
Phoebea lampas, gratiam nunc, i, face:
Haud laeta dictu nec lubens expromserim.
Th. Securus animi, quid lubet, profer mei;
Cursu peracto cerno calcem, en! candidam. 745
- Cae. Ergo ut senatus inter armorum minas
Trepidans init Curiam, vultus noto:
Cuncorum in ore pallor attonito sedet,
Figuntque moesto lumine obstupidi solum;
Omnem senatum crederes capititis reum. 750
Hinc acer, ordiente telam criminum
Cossutiano, mox perorat Eprius:
Vultu furente, luminum adspectu effero,
Bacchatur ingens ore; ceu torrens rapax
Ruit atque fertur. utque trifida fulminis 755
Vis stravit agmen, impete horrendo adtonans,
Linguae procella rhetor immani tuos
Sternens amicos, Priscum, Agrippinum simul
Tecum ruina involvit, hunc et Curtium
(Cui nil iuventae nec Camaenarum quies 760
Prodesse misero potuit) exturbat domo.
- Th. Quid? noster etiam morte mulctatur gener?
Cae. Imo exsul agitur iste Agrippino simul.
Th. Vt, Prisce, laetor eripi haud lucem tibi!
Cae. Nunc, ut voles, suprema disponas licet
Calcesque leti, quae tibi sedeat, viam. 765
Th. Ergo ad salutem protinus ducens iter
Pergamus alacres, iussa properemus cito.

Chorus

- Ch. O nox medio orta repente die!
O lux tenebrae! Styx atra polus!
O igne sepulta ut Roma prius,
Nunc te moeror sepelit gravior!
Nunc, nunc facibus demum admotis
Patere ustrinam, patere ustrinam;
Inflammaris, funestar. 775
Nunc, Roma, doles, nunc, Roma, peris.

Squallent populus, moerent tecta,
Luget Curia, quod passa, nefas;
Ipsi adtoniti lugent Patres, 780
Quod, dum passi, fecere nefas.
Heu, heu! Thrasea, nostrum lumen,
Sic exstinguere? sic exstinguis
Quicquid pulchri, quicquid honesti est?
Sic tecum perit aurea Virtus? 785
O libertas! o dulce decus
Nostraequo bonum o Vrbis, avitum,
Cuius vix, ah, hiscere nomen
Audeo (miserum!). captus, captus,
Vbi te quaeram! heu! ubi te inveniam?
Quas attegias quaeve antra peto?
Tete sine nunc Phlegeton Roma est. 790

Actus quintus

Thrasea, Arria, Demetrius
<Medicus, Priscus>

- Th. Quid planctus iste, quid quiritatus mali
Adtrahere vobis possit, horresco metu.
Proinde indecoris facite pausam luctibus. 795
Neu sorte nostra fata miscete integra.
Quod facile vites, innocens periculum
Accire stultum est. agite, vos passu cito
Extra aleam hanc discriminis subducite.
- Ar. O lux, marite, o unicum adflictae decus, 800
Sic, heu, perimeris per nefas summum innocens?
- Th. Nocens perire ergo praeoptem quam innocens?
Ar. Ah, innocentis commoriar ergo innocens
Letumque socians fata materna exsequar.
- Th. Hem, quid locuta es?
- Ar. stat marito commori 805
Ac matre digna ita adprobari filia.
- Th. Haud matre dignum, ita adprobari filiam.
- Ar. Par causa matris.
Th. causa genitrici fuit
Olim maritus.
- Ar. non maritus iam mihi est?
Th. Mucro ille matris indidit robur viro. 810
Ar. Et nunc maritum roborem, moriens simul.
- Th. Sat ipsa Virtus pectus hoc corroborat.
- Ar. Per iura thalami perque connubii fidem
Pisque amoris copulam irruptam, tibi
Spectata nostri pectoris si firmitas,
Ne sperne sociam coniugem optatae necis. 815
- Th. Ardore mortis quamlibet succensa sis,
Cupido faciat te, cave, subicem, fera:
Nec adhuc tibi net Parca fatalem diem,
Nec fas tibi hinc migrare sine iussu Iovis.
Manere verum est ergo cunctantes colos. 820
Sed et esse debes insuper natae memor
Huiusque iam nunc spiritum verti in tuo:
Complectere orbam hanc patre genitrix ac viro.
Licet alta vita abire te vis urgeat,
Haec una abunde causa vivendi tibi est. 825

	Proin gestientem exire retine spiritum, Vitam negando ne tibi, natae neges.	
Ar.	Heu, fatum acerbum! heu deincipem vitam meam!	
Th.	Ne saevientis aspera, ah, aestum ulceris Moerore neu tete obtruendam mergito.	830
Ar.	Me mergit orbitudo, me dirus dolor; Fleo maritum, Thraseam quin et fleo: Sors plurium illa, vulnus hoc privum meum est; Inusitata patimur: orbari viro	835
	Perluctuosum est, sed novum tali viro.	
Th.	Non orbitas haec, Arria, aeterna est tibi: Nos alia rursus, ecce, coniunget dies.	
Ar.	O amarulentam temporis spissi moram! Quando illa nobis, heu, dies illuxerit?	840
Th.	Vitae fugacis ocios current dies, Praetervolabunt tempora. haud hoc, Arria, Longum est diutinumque, quod luges: tibi AETERNITATIS quando LVX adfulserit, Punctum hoc habebis vivere aut puncto minus.	845
	Sed ecce medicum! Priscus et nobis adest, Adestque tempus exsuendi corporis. Nunc quicquid aegri est, quicquid odiosum, grave Animoque quicquid obstrepens, multum vale.	
	Nos missione hac sanguinis curabimur.	850
	Age, o theatrum, PRISCE, nunc ingens mihi, Spectato; tuque propius huc iuvenis ades (Incide venas, brachia, en! porreximus).	
	Hunc tibi crux, Liberator Iuppiter, Nunc libo honorem, cum exeo vita satur.	855
	Age, irretortam huc, iuvenis, aciem dirige, Intende mentem pariter atque oculos vigil: Salubre iam nunc pectore exemplum imbibes.	
	Ac vita cursu, precor, inoffenso tibi Carceribus usque candidam ad calcem evolet.	860
	Sin usitatae sortis incurvant vices, Ingruerit aut acerbudo temporum, Munire pectus proderit Constantia.	
	Proinde Thraseam adfige morientem tibi.	
De.	Cruor profusus multus, infesti nimis Vrgent dolores: balnei praefervidi Te corpore isto lenius solvet vapos.	865

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1609 mit der Bezeichnung ‘Michaelis Virdungi Thræsa’ auf dem Titelblatt; vor dem Stück selbst findet sich jedoch als Titel ‘Thræsa’. Die Ausgabe von 1608 ist nurmehr durch den Katalog der Staatsbibliothek zu Berlin nachgewiesen; sie gilt als Kriegsverlust. Eine umfassende Kommentierung wird durch T. Dautzenberg, Bonn, vorbereitet. Seiner Aufmerksamkeit verdanke ich zwei Korrekturen.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für im Original mehrheitlich verwendetes *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *β*, *causa* für *caussa* sowie im Darstellerverzeichnis *Chorus Romanorum* statt *Chorus*, dafür vor 125 nur *Chorus* statt *Chorus Romanorum*; vor 742 *Caecilianus* statt *Coecilianus*.

Groß geschrieben wurde: 6 *Sol*, 7 *Orbis*, 20 *Mundi*, 34 *Orbis*, 112 *Patrum*, 198 *Virtus*, 297 *Curia*, 308 *Curiam*, 335 *Patres*, 396 *Sanctitas*, *Pietas*, *Fides*, 397 *Honestas*, 406 *Constantiam*, 406 *Patientiam*, 407 *Honesto*, 453 *Respublica*, 488 *Virtus*, 495 *Vrbis*, 504 *Patres*, 519 *Virtutem*, 531 *Scelus*, 581 *Prudentiam*, 592 *Sanctitatem*, 600 *Integritas*, 601 *Veritas*, 601 *Calumniae*, 602 *Pietas*, 605 *Iustitia*, 633 *Stygium*, 673 *Dii*, 676 *Dii*, 748 *Curiam*, 771 *Styx*, 780 *Patres*, 812 *Virtus*; klein dagegen: 46 *coelo*, 46 *numen*, 64 *osor*, 69 *caput*, 72 *populi*, 78 *striae*, 253 *spiritus*, 283 *mors*, 326 *ordinem*, 514 *toga*, 526 *regno*, 549 *spiritum*, 672 *naturam*, 673 *spiritus*, 691 *boni*, 758 *rhetor*, 771 *polus*, 778 *populus*, 823 *spiritum*; groß belassen 702 *Nox* und 731 *Lux*, klein *princeps* zusammen mit *Nero* 9 und 454.

20	<i>ocelle</i> statt <i>ocelli</i> , vgl. Virdung, ‘Brutus’ (1609) V.416
206	<i>asperaris</i> statt <i>asperatis</i>
251	<i>poena</i> statt <i>paena</i>
430	<i>tertiata</i> statt <i>tretiata</i>
473	<i>noctem</i> statt <i>noctam</i>
508	<i>Orbis</i> statt <i>Orbus</i>
528	vielleicht <i>at</i> statt <i>ac</i> , vgl. 518, 519, 521, 527
537	<i>involvis</i> statt <i>involuis</i>
634	<i>poenae</i> statt <i>paenae</i>
654	<i>omne</i> statt <i>omme</i> Dautzenberg mit Verweis auf Sen.epist.45,2
719	<i>reliquerit</i> statt <i>relliquerit</i>
731	<i>Dei</i> statt <i>DEI</i>
760	<i>involvit</i> statt <i>involuit</i>

‘Komma’ gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *sive*, *quam* u.ä.: 3, 8, 39, 199, 199, 211, 222, 222, 235, 238, 240, 243, 264, 270, 310, 313, 353, 355, 361, 364, 366, 372, 396, 406, 411, 426, 426, 428, 438, 446, 480, 481, 515, 523, 526, 547, 548, 550, 562, 577, 582, 625, 670, 670, 691, 720, 738, 766, 786, 791, 803, 805, 813, 822, 845, 848

‘Komma’ gestrichen nach: 18 *Titanis*, 65 *spirans*, 92 *ausit*, 133 *vultum*, 137 *pulses*, 139 *tenebris*, 224 *isthoc*, 241 *fragore*, 272 *quietis*, 362 *dixis*, 371 *mentis*, 376 *germen*, 393 *regens*, 400 *dolis*, 534 *probrum*, 538 *dolos*, 560 *comitatus*, 623 *vibicibus*, 733 *horrida*, 787 *bonum*, 804 *socians*, 830 *ulceris*, 851 *o*, 853 *porreimus*

‘Komma’ ergänzt: 8, 13 *malis*, 28, 31, 34 *Orbis*, 38 *Mundus*, 43, 43, 69, 70 *solus*, 77, 91, 109, 110 *scindo*, 126, 128, 129 *ecquo*, 183, 193 *vim*, 195, 201 *nunc*, *invicte*, 251 *plector*, 275 *corporis*, 279, 302, 307 *sint*, 326, 351, 388, 416 *moror*, 433 *qui*, 434 *praecaves*, 445, 518 *odit*, 531 *Fraudes*, 561, 569 *huc*, 602, 611, 629, 629, 631, 636 *unde*, 636 *Ascraee*, 636 *tibi*, 667, 675, 708, 722 *non*, 743 *nunc*, 743 *i*, 745, 745, 774, 777 *Roma*, *peris*, 779, 779, 782 *heu*, 782 *Thræsa*, 787 *Vrbis*, 794, 797, 800 *lux*, 805, 818, 818, 818, 843, 854 *cruoris*

‘Komma’ statt ‘Punkt’: 238, 273, 387, 503, 511, 545, 636 *senex*

‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 101 *leo*, 142, 202, 241, 289, 315, 479, 565, 575, 600, 658, 757, 817, 819

‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 40, 46, 143, 146, 305, 306, 361, 371, 381, 478, 624, 633, 736, 825, 862

‘Komma’ statt ‘Fragezeichen’: 722

‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 50

‘Punkt’ gestrichen: 410 *praeditum*, 788 *nomen*, 852 *ades*

‘Punkt’ ergänzt: 164, 508, 789, 853

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 84, 150, 248, 305, 418, 472, 483, 501, 579, 618, 644, 651, 669, 680, 727, 734, 756, 776, 860

‘Punkt’ statt ‘Strichpunkt’: 349

‘Punkt’ statt ‘Komma’: 174, 826

‘Strichpunkt’ gestrichen: 813 *thalami*

‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 34, 38, 42, 73, 106, 152, 176, 186, 198, 339, 467, 493, 505, 516, 520, 527, 528, 557, 566, 574, 578, 597, 601, 607, 631, 653, 675, 702, 755, 775, 834, 852

‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 246, 405, 561, 580, 610, 614, 616, 698, 745, 832

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 649 *sceleri*

‘Doppelpunkt’ ergänzt: 570

‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 74

‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 103

‘Fragezeichen’ ergänzt: 99

‘Fragezeichen’ statt ‘Punkt’: 324

‘Fragezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 397, 399

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 22

‘Ausrufezeichen’ statt ‘Doppelpunkt’: 51

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 250ff.